

definitur, εἰς ὅ τὰ ἄλλα σώματα διαίρεται ἐν-
 πάρχον δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ. Quæ actu exi-
 stunt, propriam habent formam, à qua
 peculiaris dimanat operatio, & ἐνεργεία
 vocatur. Quæ verò potentia ex mutuo
 congressu depositis formis singulis, vnâ
 cōmunem enituntur: cui dum subsunt
 materiæ vice, nil nisi patiuntur. Impræ-
 sentiarum ergo de solis partibus actu
 totum inhabitantibus, vnâ cū Galeno
 & alijs loquimur. Iniquè propterea
 Christophorus à Vega damnauit Fuch-
 sium, quòd ea constituat ὁμοιομερῆ, quæ
 non ex diuersis sint orta. Sic enim, Vega
 ait, ne ossa quidem similiaria forent, ex
 diuersis elemētorum naturis cōposita.
 Hoc sensui licet incognitum, rationis
 tamen acumē animaduertere. Sed non
 obseruat Vega, Fuchsiū de partib. actu
 diuersis, non aūt potentia infidentibus
 cum Galeno loqui, qui ea vocat simila-
 ria, quæ omnes partes, tum sibi mutuo,
 tū toti similes obtineant. Iam verò par-
 tium quæ actu adimplent totum, gene-
 ralis notanda est distinctio, vt varietas
 illarum vel sola ratione deprehēdatur:
 vel etiam sensu. Hinc pendet solutio

pro-

2. de Arte
 Med. cap. 3.

8. de Plac.
 cap. 4.